EXEMPLAR
EPISTOLÆ
SCRIPTAE AD DOMINVM PAVLINUM,

linum, quondam Datarium ſub Clementis VIII. beatæ memoriæ Pontificatu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANNO

M.DCXII.

40

EXEMPLAR
EPISTOLÆ SCRIPTÆ ad Dominum Paulinum, quondam Datarium ſub Clementis VIII. beatæ memoriæ Pontificatu.

DOMINE,

Siquidem ex officio meo & mãdato, quod à te habui Româ proficiſcens, teneor ſignificare tibi quicquid memorabilis accidit in hoc noſtro Belgio, me abſente & Romæ tandiu commorante iuſſu Domini Caraffæ tum Nuntij Pontificis apud ipſorum Celſitudines, dicam paucis reperiſſe me pacatiora omnia quàm ante ſex menſes ſperatum: Quia verò tibi quæ in Gallia geſta ſunt per alios plus ſatis innotuerunt, idcirco ampliorem ſuper hac re diſſertationem ſuperſedebo texere.

Dicam tantùm, didiciſſe me Lutetia tranſeuntem, magnam eſſe inter Patres

Iesuitas & Vniuersitatem eiusdem vrbis altercationem. Eò impulsus fui curiositate, vt singula quæque voluerim rescifcere, & quidem resciuerim. Sed miseris Artium Magistris & studiosis nondum noti Patres. Tum verò animum subiit ingens illud dissidium inter eosdem Patres & Curiones nostros Duacenses, qui mira sibi pollicebantur ac, si Episcopi nescio qui & Prælati forent maximi, sed cùm Romam deuentum est, inibi potestatem & authoritatem Patrum peruiderũt, quippe qui causam suam æquè facilè obtinuerunt atque miseri nostri Curiones ignominiosam passi sunt repulsam. Incassum clamores ipsorum, agi de disciplina Ecclesiastica déque ordine hierarchico Ecclesiæ. Ista talia apud vestrates non agnoscuntur, apud quos de vrbium Curionibus verba facere, necnon & de ipsorum authoritate quantum ad regimen certi populi, id verò idem est ac si de antiquis Consulibus Romanis aërem diuerberes. Redeo itaque ad inceptũ de Lutetia sermonem, vbi familiaritatem contraxi cum quodam in ea vrbe Theologiæ

giæ ſtudioſo, è Comitatu Burgundiæ oriundo, qui mihi dixit Doctores Sorbonæ diuiſos eſſe, ſed per Dei gratiam numerum eorum qui à Patrum Ieſuitarum partibus, longè numeroſiorē, quàm qui à contrariis. Mirari me vehementer, inquam ego, quòd in tanto Doctorum numero, vti referebat, nemini dum dicti Patres noti: Ad quæ ille, Aliquos quædam de his muſſitare auſos, ſed optimum à Patribus adhibitum remedium. Theologum hunc penitius tentare curæ habui, & agnoſcens ingeni eum lenis docilíſque, necnon & frequentem eſſe ipſum cum Doctorum iſtorum quamplurimis, atque aliis iſtius Vniuerſitatis; ego miſertus ipſius, volui ipſi per me veritatē innoteſcere, in mediis Cimmeriíſque tenebris fraudum, & mendaciorum dictorum Patrum, vt eiuſdem notitiam ſibi notis communicaret.

Sciſcitanti mihi quænam præcipua huius controuerſiæ cauſa: Reſpondit illos obtinuiſſe diploma regium, quo ipſis permittebatur Nouitiatus conſtructio, & exercitiorum lectionúmque in

ipſorum Collegio Claramontano reſtitutio: Nouitiatum autem hunc ſitum in ſuburbiis ſancti Germani à Pratis, quorum facta mentione idem Theologus cœpit diſſerere de vtilitate quã Eccleſia Catholica perceptura erat ex vtroque, nominatim ex iſto Nouitiato, de quo ab authore fide digno didiciſſe ſe iactitabat defunctũ Regẽ HENRICVM IIII. dixiſſe, commodum in eiſdem ſuburbiis, quæ inſtar paruæ Geneuæ, fuiſſe conſtructum. Quærenti inſuper num aliqua in iis ſuburbiis Abbatia eſſet aut Prioratus; Reſpondit mihi Abbatiam eſſe locupletiſſimam. Tum ego, ipſam eſſe per conſequens hiſce Patribus commodiſſimam, atque in ipſorum manus dubio procul tandem aliquando deuenturam, ij ſiquidem cõſilia nectunt poſt quadrageſimum demum aut quinquageſimum annum eruptura. Reſpondet Theologus tantæ probitatis eſſe Patres Ieſuitas, vt nollét vllo modo aliena bona vſurpare, terrorémque hunc Panicum eſſe eorum qui in Vniuerſitate, necnon & Sorbonitarum, qui vereantur ne boni Patres

inter

inter ipſos recepti, olim ipſos expellant & Collegia ipſorum domóſque ſibi vendicent. Ex his verbis facilè iudicaui de ſimplicitate huius Theologi, qui nõdum vſu & experientia valens, Patrum iſtorum ſe ſinebat ſimulatione & ficto vultu deludi.

Id verò eſt quod amplam ſuggeſſit diſſerendi materiam, viámque aperuit ſatis diligenter ipſum edocendi de horum Patrum conſcientia tantum decantata. Veniam dabis, Domine, ſi minutas has & leuiuſculas notas refero, quibus agnoſcantur Patres, quas huic Theologo indicaui; tumet ipſe longè plures noſti maioríſque momenti; Extant eius rei monumenta præclara, quæ à teipſo erecta ſub felici Pontificatu Clementis V I I I. Datariatus tui tempore. Cœpi itaque Theologo noſtro prædicto cõſcientiam Patrum explicare. Tempore Gregorij X I I I. Religioſi D. Pauli extra Romam, ordinis Benedictini, moniti Patres Ieſuitas Pontifici ſignificaſſe, hos religioſos eſſe perditiſſimos, vitámque ipſorum æquè omnibus eſſe ſcandalo, petentes idcirco vt

placeret Pontifici Monaſterium illud ipſis donare, & contra Religioſos illos Benedictinos ſententiam ferri, qua loco illo pellerentur. Pontifex qui impensè fauebat Patribus Ieſuitis, conceſſit iſtis dictum D. Pauli Monaſterium. Et en Patres breui armatos ſeſe conferre ad D. Paulum iuris vſurpâdi ergô. Religioſi interea gladio Diui Pauli atque armis arreptis, ita impetunt prædictos Patres Ieſuitas, vt ipſos amplius redeundi D. Paulum ceperit ſatietas. Super hac re inquiritur, ſed morte Gregorij XIII. ſuborta, deſitum eſt. Sub Pontifice Sixto V. ijdem Patres incepta redintegrât, & Pôtifici exponunt idem quod ipſius anteceſſori. Verùm Sixtus, cui illi penitus & in cute noti, reſpondit Religioſos, ſiquidem tales eſſent quales libello ſuo ſupplice deſignabant, reformandos eſſe, non fugandos. Quæ conſcientia Patrum Pontificem Clementem VIII. monentiû paucos eſſe Carthuſianos in Carthuſia Lucernenſi (Pagus is eſt Helueticus Catholicus) & pręſtare ipſis hoc Monaſterium dare replendum multis Patribus huius ſocietatis,

tis,qui publico inſeruirent, loco paucorum Religioſorum Carthuſianorũ aliàs inutilium? Petitio hæc in ſpeciem proba erat, eíque Pontifex annuendæ propendebat, nimirum quia miris importuníſque modis tum à Patribus Ieſuitis exagitabatur, tum etiam à ſuo Nuntio apud Cantones Catholicos, qui negotiũ hoc in gratiam Patrum vrgebat maximopere. Sed Cardinalis Doſſatus Gallus cùm aliquid de ea re inaudiuiſſet, tam egregiam Carthuſianos nauauit operam vt in ſuo Monaſterio fuerint cõſeruati, Patréſque repulſi. Carthuſiani multum debent ſcilicet Patribus Ieſuitis, quia, præterquam quod modò dixi, Monaſteria quamplurima quæ poſſidebant in Germania ab ijſdem Patribus ipſis ſublata ſunt, ijſdem de cauſis, quibus Lucernenſem Carthuſiam petebant, atque eorum Chriſtiana charitas cauſa eſt, cur quicquid Carthuſiarum ſupereſt in Germania, maiori quàm antè numero ſint refectæ: in iis ſiquidem miſeri Carthuſiani propriis Monaſteriis ab his Patribus depulſi, fuerũt excipiendi. Atque vt cõcludam hoc de Carthu-

ſianis, addam bonos iſtos Patres Ieſuitas ita facto conſcientię addictos, vt neminem quietum relinquant ipſimet inquieti. Cui rei proſpectum à Carthuſianis, ſollicitati námque in quoddam ipſorum Monaſterium Patrem Robertú Ardenium Ieſuitam recipere, & verò probè ſcientes quinam ſint iſti Patres, qui habitum licèt induerent & inſtitutum ipſorum profiterentur, nunquam exuerent tamen interiorem illam togam, fibulatam, ipſorum quippe Monaſteria in tantú cõturbaturi vt eos expellere cogerentur. Eam ob rem in Capitulo generali ſanciuerunt ne quis Ieſuita in ipſorum Monaſteria reciperetur.

Iſtorum Patrú Ieſuitarum conſcientia Carmelitis item inclaruit, in noſtro Belgio, dum præerat Comes Fontanus Antuerpiæ, ante longos annos; Patres Ieſuitæ Comiti libellum ſupplicem offerunt, dicentes paucos eſſe Religioſos in Cœnobio Carmelitarum Antuerpię, placeret itaque ipſius Excellentiæ dictum Monaſterium ipſis donare, poſtmodum à Patribus commodo publico longè maiori pluribúſque occupãdum.

Id

Id obtinent, verùm vbi resciuit Carmelitarum Prior ex literis Patrum interceptis, rei prospexit, adeò vt Patres cum suo diplomate Monasterium accedentes perurbanè fuerint excepti tum à Priore tum à Religiosis, sed cùm de re ipsa sermo inchoatus est, ijdem Religiosi scapulis prehensos illos protruderint. Benedictinis vicinis vrbis nostræ, quíque in Abbatia Auchiniana, non successit æquè feliciter, illi cùm singulari charitate & beneuolentia dimidiam sui Collegij, quod est ipsis in vrbe nostra, partem dedissent hisce Patribus, Patres tamen in compensationem tanti beneficij non desierunt ipsis negotiũ facessere, vsque dum ijdem nostri Religiosi Auchiniani, iussu Principis Senatúsque consulto, fuerint condemnati Patribus Iesuitis ad ipsorum impensas quatuor mille libras annuas pendere. En hospites egregia charitate prędítos. Præmonstratenses Prioratum apud nostrates obtinebant, qui quidem arridebat bonis patribus, quem idcirco Romæ petunt, obtinent falsis quibusdam expositis: Dum occupare tẽtant, ijdem

Præmonſtratenſes intercedunt, litémq; mouent in Conſilio Brabantiæ, in quo Præmonſtratēſes cauſam obtinuerunt, Patribus ignominiosè repulſis. Sunt & alia conſcientiæ Patrum erga Pręmonſtratenſes monumenta, penſiones putà quas in noſtro Belgio ex viginti quinque & amplius Monaſteriis ordinis ipſorum percipiunt, quę penſiones ſummam conficiunt triginta mille librarum annuarum. verùm ea cura maneat conditorem libri, quem audio Lutetiæ componi, hoc titulo, *Examen generale Inſtitutionis Ieſuitarum.*

Omitto quę mihi ibidem Lutetiæ de Canonicis Regularibus ordinis Auguſtinenſis narrata ſunt, de Abbatia, quæ ipſis erat Fleſchiæ Andium. Memorabile eſt, quibus artibus miſeros Canonicos Regulares expulerint; verum haud ſcio an impietas, qua vſi ſunt in Eccleſia eiuſdem Monaſterij, veniam ex ipſorum Cabala conſcientiæ mereatur, cùm vtique reliquerint ſanctam Hoſtiā conſecratam ſuper Altari ſex menſes atque amplius inconſpectam. Hoc verò affirmauit mihi ſeriò Pręmonſtratenſis quidam,

dam, vir bonus virtutíſque amans, qui tum præſens, horúmque teſtis oculatus fuit. Dicá aliud obſeruatione dignum. Cameracenſi Archiepiſcopo defuncto erant ædes eximię,ad inſtar PalatijBruxellenſis,ſed vicinæ & proximæ Collegio Patrum, qui illas vt aptas in primis atque vtiles ſibi vendicare geſtientes, fingunt emptionem, quam abnuens Archiepiſcopus, litem ipſi intentant,in hoc vt dictum palatiū ipſis cedere condemnetur, verùm Archiepiſcopus ita bene cauſam egit vt obtinuerit in Conſilio Bruxellenſi.Quæ,rogo,conſcientia ſpoliare legitimos hæredes iuſtarū quæ ad ipſos deuoluuntur ſucceſſionum?)

Memini me à Luſitano audire diuitem quendam numularium, Lisbonæ incolam, qui nunquam vxorem duxerat, nec vllum hæredem habebat prætérquam vnicum nepotem: Auunculum iſtum hi Patres ita faſcinarunt, vt deſerto miſero nepote, ſua omnia ipſis dederit. Prædictus nepos auditâ auunculi ſui morte domum ſe confert, vbi lictores atque alios iuſtitiæ ſatellites reperit, qui eò iuſſu Patrum venerant

ad tuitionem donationis defuncti. Mos autẽ patrius hic eſt, vt lictores atq; eiuſmodi Iuſtitiæ ſatellites armati incedãt: Dum hic nepos domũ introire aggreditur, ſéq; verum hæredẽ defuncti Auunculi declarat, hoc reſponſum refert, Aditum ipſi præcluſum, nec inibi quicquam ipſi eſſe negotij, *los Apoſtolos* autem (ita Ieſuitas appellitant) adeſſe, quibus defunctus ſua omnia dono dederit. Miſer nepos exhæredatus, talem repulſam paſſus exclamauit, O Ieſu Chriſte, ſi tales habuiſſes *Apoſtolos*, nunquam Iudæi crucifigere te fuiſſent auſi.

Sed & horum Patrum conſcientia nunquid patefacta eſt Romæ in negotio Equitis Maximiliani *Caſſarelli* è nobili Caffarellorum familiâ, è quâ item Cardinalis Borgueſius, nepos Pontificis, oriundus? Auuncula ipſius Teſtamentum condiderat, & maximam bonorum ſuorum partem Patribus Ieſuitis, qui ipſius animum inuaſerant, legauerat, nulla interim nepotis Equitis *Caſſarelli* facta mentione: cuius rei admonitus, nec videns quo pacto Auunculam commonefaceret, vtpote quæ à Patri-

Patribus,qui ipſam neque noctu neque interdiu deſerebant, erat circumuallata, tandem hoc obtinuit à Medico,qui Auunculam ipſius curabat, vt horam & tempus aſſignaret commodũ,quo ipſam ſolam videre poſſet.Eques *Caſſarelli* ſeſe confert in hortum quẽ intuebatur conclaue cubiculi Auunculæ decumbentis, & ſcala admota procoetonem illum conſcendit,dum Medicus cubiculum ingreſſus ſecedere iubet Patres cuſtodes, ipſiſque ſignificat clyſterem egrotę iamiam iniciendum.Semotis Patribus, eiuſdem operâ ingreditur Eques *Caſſarelli*,qui illacrymans,cùm expoſuiſſet Auunculæ ſuæ honorem & reuerentiam qua ipſam ſemper proſecutus erat, item ſeſe erga illam geſſiſſe pari obedientia & officio ac filius erga matrem, nihilominus ſe ab ipſa exhæredatum, quæ ſua omnia Patribus Ieſuitis legaſſet. Auuncula hæc miſeratione commota atque in ſeſe deſcendens, culpam commiſſam agnouit, petiítque à nepote, quonam pacto mederi poſſet: Tum nepos, Teſtamẽtum illud abrogandum alio quod denuò cõderet,prout Deus&

natura ſuggerebant, atque in eam rem tabellionem adduxiſſe ſe qui eius Teſtamentum exciperet, vti reuera dictus nepos ſecum aſcendere iuſſerat tabellionem illum in prædictum procoetonem. Atque ita primum Teſtamentum reuocat Auuncula,& ſecundum condit quo Equitem *Caſſarelli* ſuum nepotem hæredem generalem & vniuerſalem inſtituit. Patres ægrotæ cuſtodes redeunt, poſt abitum *Caſſarelli* nepotis cum comitatu, paucíſque abhinc diebus Auuncula exceſſit è viuis. Patres exultabũdi, vi prioris Teſtam̃eti, iubent omnia apprehendi, verùm illi calculum coacti reducere, cùm Eques *Caſſarelli* nepos defunctæ curauit ipſis ſignificari prioris Teſtamenti reuocationem, ſimul & ſecundum Teſtamentum in fauorem dicti nepotis conditum.

Hæc hiſtoria deſubitò Clem̃eti VIII. tum ſedenti relata eſt, qui ſubridens dixit, Nunquam credidiſſem tantum ingenij eſſe *Caſſarello*. Paulus V. iam Pontifex, tum Cardinalis huius ſannæ fuit factus particeps, affinis quippe prædicti Equitis *Caſſarelli*. Haud ſcio an pudorem

rem eò vſque poſuerint, pro more, vt falſitatis,quod modò dixi, velint incuſare, quod Pontifex Illuſtriſſimus Cardinalis Borgueſius,affinis prędicti *Caffarelli*, probè ſcit, quod denique Curia Romana nouit, ipſáque adeò Româ vniuersâ peruagatur. Cùm pauca hæc narro de ijs qui manus rapaces horum Patrum euaſerunt, beneficio conſcientiæ, cogitandum relinquo ſexcentos alios eſſe, qui ipſorum artibus fortunis omnibus euerſi ſint. Cuperem tantùm præberi aurem miſeris Religioſis Benedictinis, qui in vrbe noſtra Duacenſi, qui ex Hiſpáia atque adeò Oleti Valle profecti, horrenda illi de his Patribus docerēt eos quibus nondum innotuerunt. Nominatim autem quantum ad ipſorum conſcientiam, tam egregiè blanditi miſeris Anglis Catholicis, vt multis Nobilibus atque aliis,bonorum omnium quæ in Anglia poſſidebant, venditionem perſuaſerint, & quicquid ex ea vēditione bonorum illorum omniū prouentū eſtacceperint,quod intra paucos annos, quater cētum millia aureorum ſummam ſuperauit, totúmque

à Patribus fœnori collocatum. Id verò mirùm mihi non eſt,ſiquidem Lutetiæ didici mercatorem quendam lignarium, cui domicilium eſt extra portam S.Bernardi, cùm vrgeretur à creditoribus, diem ſolutionis proferri rogaſſe, cúmque creditores illi omnes conueniſſent,vt inter ſe de tota hac re quid agendum eſſet ſtatuerent, repertum inter ipſos Patrem Ieſuitam procuratorem, à quo debitor declarauit accepiſſe ſe mutuò pecuniam fœneratitiam. quid verò rei eſſet ſatis agnouerunt qui conuenerant. Verùm quid dicas de regula iſta conſcientię,pariter & de illa qua breui temporis ſpacio bis centena millia aureorum expiſcati ſunt à Catholicis Anglis,& quidem pro expeditione, inquiebant,multarum diſpenſationum & ſimilium Romæ negotiationum? Ecquis neſcit inquiſitionem eorum omnium quæ Venetiis comperta, agnita,cõprobata?Ecquis ignorat hiſto riam Genuenſem,qua Patres iſti nobiliſſimas atq; illuſtriſſimas huiuſce Reipublicæ matronas in ſuá Annuntiationis Fratriã illecebris irretitas allexerũt,
ſubdolè

ſubdolè priùs & callidè monilibus, gẽmis,atque aliis ornamentis,quæ ipſi apprehenderãt,ſpoliatas. Hoc cùm à Clariſſimo detectum fuiſſet, confeſſionem quippe ab vxore expreſſerat, de ea re conqueſtus eſt apud Senatum.Qua penitius inueſtigata,palàm fuit non ſolam illam, ſed & alias quamplurimas à bonis Patribus, per regulam conſcientiæ & mortificationis bonis omnibus exutas. Eius rei curam amplexus eſt Senatus, parúmque abfuit quin exemplum Venetorum fuerit imitatus, ſed interceſſione Pontificis totum hoc negotium compoſitum eſt, ante ſex annos circiter. Neſcio per quam conſcientiæ regulam vbique affectant imperium atque omnes nullo excepto, ne Principibus quidem Eccleſiaſticis,neque Temporalibus. Vbi omnia ad ipſorum nutũ non geruntur,horrenda patrant,& ſi vel minimũ obluctèris,neque viuo neq; mortuo condonabunt. Quo pacto illi ſeſe geſſerunt cum Pontifice Clemẽte VIII.quem omnes felicitatem & benedictionem ſui ſeculi agnouerunt, cui æternùm deuinctus orbis Chriſtianus?

Cardinalis Toletanus, qui ab ipſis fuerat, nunquid effugit calamum ipſorum clandeſtinum, linguáſque maledicas? nonne ipſum etiam Apoſtatam appéllitarunt? Etiamnum Romæ extant & in noſtro Belgio, qui teſtimonium veritatis huic meo dicto perhibebunt. Quòd ſi aues cauſam huius ipſorum odij, reſpectu vtriuſque, pernoſcere, hæc fuit, quia Cardinalis Toletanus Clementi VIII. impoſturarum omnium & fraudum iſtorum Patrum penitiſſimos receſſus aperuerat. Bonus ille ſanctúſque Pontifex reformationem conuenientem adhibere cogitabat. Et en Patres commotos mirum quantum; ſed ſub initia ſancti huius conſilij Cardinalis Toletanus, necnon & Clemens VIII. paulò poſt diem claudunt. Liberati hoc terrore familiaribus colloquiis inter collegas, memoriam mordent vtriuſq;. Ecquid non dictum, ecquid non ſcriptum ab illis contra Pontificem Sixtum V. poſt ipſius obitum? Etiamnum reperias latina carmina nil niſi cruorem ſpirantia, atque ab illorum incude poſt ipſius obitum. Apprimè noſti, DOMI-

NE,

NE, quid factum ſit illo Patre Ieſuita Hiſpano, qui arguere ſcilicet auſus Bullam Clementis VIII. beatæ memoriæ, qua Confeſſionem per literas, prohibebat, atque eiuſmodi Confeſſionem eſſe inualidam. Et licèt ille Pater vocatus ad Inquiſitionem, declararet non priuatam hanc eſſe ſuam ſententiam, ſed multorum aliorum Theologorum, imprimis Theologi cuiuſdam Pariſienſis præſtantiſſimi, cuius literas ſui dicti confirmatiuas exhibuit, quæ in Actorum Inquiſitionis libris remanſerunt. Quantum tamen is Pater incaluit ſuper hac re? Qvare perſuaſum habeo illum non fuiſſe poſtremum inter eos eiuſdem ſocietatis, qui tam ardenter Clementis VIII. mortem optarunt. Ecquis ille Pater qui Romæ in Inquiſitionis carcerem coniectus eſt? ecquæ cauſa? Quod nomen illi Patri Hiſpano qui publicè defendit, non eſſe de neceſſitate fidei, credere Clementē VIII. vicarium eſſe Ieſu Chriſti, & D. Petri ſucceſſorem? Dum Romæ eſſem & negotia prędicti Domini Caraffę Nuntij Pontificis adminiſtrarem, audiui a Pa-

tre Iesuita, quendam societatis suæ Patrem de controuersia, quæ ipsis cum Iacobitis, differentem cum Episcopo Gallo, quem vidi, atque arbitror lusciosum, esse, cúmque Episcopus illi diceret Pōtificem breui dissidium hoc compositurum, Pater ille quasi diffidḗs ęquitati suæ causæ, & sententiæ, quam Pontifex erat laturus iustissimam, dixit, Negotiū hoc non amplius ad Pontificem, sed ad Concilium generale pertinere. Ita scilicet tractant sanctissimos nostros Patres, vbi quæ volunt non exequuntur. Silentio penè inuolui rem memorabilem, quia illa neque nos, ne Statum Maiestatis Catholicæ respicit: dicam tamen, quoniam illa pertinet ad quietem generalem totius orbis Christiani. Pater Hostius Iesuita sociíque asseruerunt Pōtificem Clémentem V I I I. absoluentḗ atque in sinum Ecclesiæ Catholicæ nuper vita functum HENRICVM IIII. Regem Galliarum recipiḗtem, abusum esse clauibus atque authoritate Ecclesiæ, & per consequens totum illud nullius esse momenti.

Temperare à lacrymis non possum, si narro persecutionem, quam Giffortius

Præfe-

Præfectus Capituli Insulæ nobis proximæ, à Patribus hisce passus est, qui nunquam desierunt quin ipsum è tota Flandria eliminarint, non propter facinus aliquod admissum indignúmque ipsius professione, in ea vrbe siquidem Insulâ atque apud nos ab omnibus pro viro optimo, summæ integritatis, atque eruditionis non vulgaris habetur: non quòd cum Gallis arcana communicaret, sed quia scribendi modus à Patribus hisce vsurpatus contra Regem Angliæ, ipsi non probabatur, liberè pronuntianti Reges & Principes non excipiendos esse fustibus tanquam seruos. Miser ille Giffortius Lotharingiam sese contulit, vbi Patres diu ipsum non sunt toleraturi, quandoquidem ipsorum furor ne morte quidem exosorum expletur.

Cardinalis Moronus, olim Legatus Pontificis in Concilio Tridentino, multis etiamnum superstitibus dixit, & quidem iteratis vicibus, Iesuitas ambitiosos esse, arrogantes, vindictæ auidissimos. Postremi huius probationi inseruiet lamentabilis & Tragicus casus Patris Hayndij Iesuitæ, quem narratum imus. Triginta

tres annos ille fuit in ea ſocietate, quo numero continentur nouem anni circiter, quib. vixit cum ipſis poſtquam quarto & magno voto ſeſe obſtrinxiſſet. Longo rerum vſu, atque experientiâ (quæ ipſi obtigerat ex omnifariis exercitiis, in quibus fuerat occupatus ſupra reliquos omnes huius Societatis,) didicerat multa in eadem ſocietate admiſſa & patrata mala. De iis apud Prouincialē conqueritur, cōqueritur & apud Viſitatorē Generalē, ad Patrē Generalē Aquauiua multas cōſcribit literas, quas penes nos habemus, ipſíq; deſignat pręcipuè quinquaginta duos defectꝰ, ſiue abuſus (ſi lubet ſic appellare) qui à Patribus Societatis committebantur: duos tantùm indicabo, quorum alter eſt de Confeſſionibus, in quibus prædicti Patres pudendo nec dicendo modo ſeſe gerunt. Alter eſt de falſis miraculis quæ iidem Patres à ſuis eiuſdem ſocietatis edita præconiantur. Generalis Aquauiua, nunquam voluit bono huic Patri facultatem concedere Romam veniendi, vt ipſi confuſiones iſtas ſigillatim enumeraret. Quid accidit? miſer Pater Hayndius corripitur, incarceratur in ipſorum Collegio, & do-

& domo Profeſsâ Salernitana, vbi multa paſſus tandem in Beatorum ſedes amandatus eſt, in quibus credo ſanctam hanc Animam dulci gratáque frui quiete poſt martyrium. Hoc ſciunt Salernitana non tantùm, ſed & Neapolitana,& vicinæ vrbes omnes. Eodem pacto Patrem illum ſuæ ſocietatis tractarunt,qui coram Rege D.Sebaſtiano Luſitano concionatus,eximiè depinxit prædictos Patres, eóſque iuueni huic Principi denudauit agnoſcẽdos, verùm ille fructum inde non retulit quem par erat,ſiquidem conſilia ipſorum ſecutus extremum exitium accerſiuit ſibi, prout verè prædixerat Magnus ille Dux Albanus tum cùm gratiâ exciderat, atque ab Aula exulabat. Silentio inuoluere nequeo quod ante aliquot annos in Bohemia Pragæ accidit, Preſbyter quidam Italus quędam protulit in detrimentum & præiudicium Patrum Ieſuitarum. Quod vbi reſciuerunt,ficta dulcedine deducunt ipſum in ſuum Collegium, inibi demittitur in caueam ad inſtar carceris, vbi pedes manúſque vinculis ferreis conſtrictus ſingulis diebus diſciplinam(quod aiunt vulgò) ſubit ſtrenuè, pane & aquâ

doloris tantùm porrectis aliquãdiu sustentatur. Tãdem ipsi significant, si liberari vult, oportere propriâ manu scripto fateatur furatum se aliquem calicẽ atque aliá suppellectilem sacram prædictorũ Patrum, qui hoc modo liberaturi sint ipsũ, & curaturi vt tutò extra Pragam deducatur. Miser iste Presbyter libertatis auidus pollicetur cõsignátque quicquid volunt. Hoc à Patre Bouuithz relatum fuit Illustrissimo Domino Philippo *Spinelli* Nuntio Pontificis apud Imperatoriam Maiestatem: atque hîc sunt qui tum Pragę versabantur, quíque de veritate huius historiæ testabuntur.

Prędictus studiosus noster prę impatientia sermonem abrupit meum, inquiens prauas quorundam priuatorum actiones vniuersæ sanctęque huic societati crimini non esse vertendas. Tum ego regerere, Collegia & Domos Professas non esse in numero priuatorum recensendas, atque hoc Patrum effugium esse ordinarium, veluti cùm ipsis obiicitur quædam doctrina, quam docent, quámque damnant vbi Principes supremum in suos imperiũ habent, sed damnant

nant inuiti, vbi enim primas obtinent, eam audacter prædicant. Eram Romæ, cùm hic nuntius àduenit, Parlamētum Parisiense condemnasse,& flammis adiudicasse librum Ioannis Marianæ Iesuitæ Hispani. Quem lapidem non mouerunt Romæ? Si Magister sacri palatij fuisset Iesuita, super hac re non siluisset, & censuræ subiectum fuisset postremū hoc decretum non minus quàm illud quod in Iohannem Castellum fuerat sãcitum,de quo tantus sermo est Lutetiæ. Memini Patrem quendam Iesuitam in Ecclesia sancti Ludouici Romæ cōcionantem nuper vita functum Regē Galliarum HENRICVM IIII. Martyris elogio insigniuisse, quem tamen eodem tempore alius pater Iesuita Genuæ Tyrãnum appellauit, atque aliis peioribus nominibus, quæ sine horrore recenseri non possunt,conspurcauit.

Tum Romæ aiebant legatum Galliæ de ea re apud Pontificem conquesturū, & rationem iniuriæ reposciturum. Mediolanum vbi appuli, Iesuitā hunc Genuensem non esse solum didici, sed & complures alios Patres societatis ipsum

insecutos, in eadẽ verba. Hoc non dico fusius examinandæ Patrum doctrinę, ea res quippe voluminis est ampli, non simplicis epistolæ. Verùm alloquens hunc studiosum, oro te supplex totóque pectore, inquam ego, Audi miram in casu conscientiæ patrum istorum doctrinam. Salas Pater Iesuita Hispanus in suis operibus Theologicis, quæ vidi Romæ super hoc argumento tantùm, tuetur Religioso debere esse causas efficacissimas, quibus iudicet reuelationem hanc esse veram, quâ dispensatione diuina permittatur ipsi vxorem ducere. Tamen si idem Religiosus veram probabilitatem haberet reuelationem istã ipsi factam à Deo, tali dispensatione diuina posset vti, licèt reuelatiõ illa foret dubia, & tantùm probabilis, atque ita securâ conscientia posset vxorem ducere. I verò, & hoc prædica, non dicam apud Canonicas nostras Maubegianas & Niuellanas, sed vniuersim omnes nostras Moniales. Nũmulariis hoc pacto nihil lucri in procuranda dispensatione Romæ, siquidem dispẽsationem nobismet ipsi damus, atque interea genio indulgebimus; sæpe nuptiales. Religiosas Galliæ arbitror non fore nostris fero-

ciores. Doctrinam hanc vnius esse ne prætexe. Quid si enim probo regulá istá conscientiæ generalem esse pro Patribus, siquidem ipsimet eam vsurpant? Pater Mena Iesuita Lector Theologiæ in Valle Oleti in Hispania docuit hoc dogma, & quod amplius est, praxi cõfirmauit: corrupta namque filia sua spirituali, hoc est, ea cui A cõfessionibus erat, atq; habita pro vxore multos annos, vi istius quod modò dixi, axiomatis, ex ea duos pulchellos suscepit pueros, nisi quod boni patris tincturá paulũ referebãt. Inquisitio Vallis Oleti de hac re admonita, Patrem Menam apprehendit, condẽnat, Patres liberationem flagitant, sed videntes misero Menę res malè cedere, hoc satagunt vt Mena morbum fingat in Inquisitionis carcere, atque ita libellum supplicem offerunt, vt vadatò suæ custodiæ permittatur, in hunç finem vt curetur cõmodiùs, polliciti se eum stituros quamprimum cõualuisset, verùm vbi Menam eduxerunt è carcere, paulò pòst idem Mena disparuit, ignoratúmq; quid ipso factum sit. Religiosi Benedictini qui in Valle Oleti sunt vi be nostra, testimonium veritatis huic historiæ perhibituri sũt vbique, licèt qui his

ſex menſibus venerunt è Valle Oleti mirum ſtratagema narrent, quo ad liberationem dicti Menæ vſi Patres, rumore ſcilicet ſparſo in ea vrbe bonũ illũ Patrẽ diẽ obiiſſe. Vis in pauca contrahã? cõtraham ſanè, inquam ego, ſtudioſum meum alloquens; ſed ita tamen vt memoriæ in æternum mandes præclarum documentum, quod exhibebit ſingularis hæc hiſtoria, quam à te didici, DOMINE, quam & dixiſti mihi intellexiſſe te à defuncto Cardinali Torres Archiepiſcopo Montrellenſi in Sicilia, atque à Domino Epiſc. Caſſano in Regno Neapolitano. Cùm Marcus Antonius Columna, qui præerat claſſi Pontificis Pij V. in pugna Lepantina, cùm, inquã, Prorex eſſet in Sicilia, tũ erat in Sicilia quidã Pater Ieſuita nomine Dom Alonſo, Pater hic oraculũ erat totius Siciliæ, tãto honore ipsũ omnes & reuerentia proſequebãtur, tam bene apud ipſos audiebat, vt in omnibus familiarũ negotiis alicuius mométi, ſiue inter Nobiles, ſiue Mercatores, ſiue alios alicuius notę nihil fieret, nihil ageretur, nihil cõcluderetur inconſulto Patre Dom Alonſo. Hoc verò ſpiritus tãtos addidit huic Patri,

tri, vt Proregem Marcum Antoniū Columnam cōuenerit, ipsíque longa cōmonefactione significauerit, Regē Catholicum Philippum II. Cōsilium conscientiæ creasse, ex quo dubiorum solutionē in maximis suis difficillimísque negotiis perciperet, & in hac re Proregibus omnibus & Præfectis Generalib. suorum Regnorum, Statuúmque præiuisse exemplo, quod imitarentur. Marcus Antonius Columna rē optimè tanquā vir emūctę naris subodoratus est, agnouítq; Patrē istū Consilio illi se præfici expetere, habita ratione summæ authoritatis & gratiæ qua valebat per totā Siciliā; quod erat (vt verbo dicā) reipsa Proregis àuthoritatē affectare; Respōdit itaq; ipsi, Quid ergo mi Pater vis tibi habere meam vxorem? Non habebis, satis sit vobis Patribus Iesuitis, qui intellectum habetis fixum Cœlo, manus mūdo, animā omnibus diabolis. Hoc longè elegantius proprio idiotismo, *Voi altri Padri di Giesu, hauete la mente al Cielo, le mani al mondo, l'anima al Diauolo.* Eam ob rem Magnus ille Rex Philippus II. Princeps olim noster optimus illos appellabat *Clerigos negotiadores*, factiosos presbyteros: quod ego dedici ex Dominis nostrę

regionis ſenioribus, qui cũ Aulá Hiſpanicá frequẽtarũt. Atq; hic fuit finis noſtræ diſſertationi. Te verò, DOMINE, ſupplex veniam poſco, ſi longiore ſermone detinui te,&quidẽ de rebus plus ſatis tibi notis, ſiquidẽ ex monumentis quæ penes te habes, longè plura diſcis. Ignoſce ſi hæc audeo tibi ſcribere, quę dixi Magnatibus, opus fore ad trãquillitatem Chriſtiani orbis, nominatim in bonum noſtrorum Principum, vt exemplaria haberent illi cõmentariorum, qui ſunt apud te, quibus notum fieret Principibus atque ipſorum Conſiliariis, quantum referat generatim ſcire cabalam iſtam conſcientiæ: Perſuaſum habeo aliquos è veſtratibus in hoc incubuiſſe, vt aliquid ſuper hoc argumento recuperarent, quod publico communicent. Equidem id aliquando videre cupio eodem affectu quo de tua bonitate mihi polliceor hunc honorem, vt in numero tibi addictiſſimorum ſemper cenſear, vt qui tui ſim

Studioſiſſimus, atque obedientiſſimus G. D.V V.

Duaco 21. Septembris 1610.